







cf. III 60

**VIRO AMPLISSIMO  
DOMINO  
M. PAVLO GEORGIO  
KRVSIKIO**

**IOANNEI HAMBVRGENSIS PRORECTORI LONGE ME  
RITISSIMO MATTHIAE DANIELIS FILI MINORIS NATV  
MVIS VVITTENBERGENSIBVS DESIDERATISSIMI IMMATV  
RVM LVGENTI OBITVM**

**SVVM DOLORIS SENSVM APERIT**

**GEORG. GVIL. KIRCHMAIERVS  
PROF. PVBL**

**VVITTENBERGAE SAXONVM**

**TYPIS CHRISTIANI SCHROEDTERI ACADEM. TYPOGR.**

**A. R. S. CIO ICCCXII**







07

I fortuna me uoti compotem face-  
re uoluisset, gratulandum foret, Am-  
plissime Vir, de Filio tuo, sapientiae ac  
ingenuarum artium laurea, proximis Phi-  
lofophici Ordinis solennibus, iure meri-  
toque condecorando, non de mortuo dolendum. Cre-  
das enim, uelim, et tibi senectutem firmissimam, et tu-  
is fortunam amplissimam, toto semper pectore, a Deo  
me precatum esse, ut tu expectationem eruditi orbis,  
quam in erudienda, exquisitoribus literarum generi-  
bus, Hamburgensi iuuentute, dudum commouisti, ma-  
iori meritorum cumulo superares, filii autem, ornandae,  
haud uulgaribus studiis, Reipublicae nati, partam tu-  
am, auctamque suis uirtutibus, famam posteritati trans-  
mitterent fortasse gratiori. De disciplina tua, non dis-  
simulo, eruditionis arbitri honorifice sentiunt, eamque  
Hamburgensibus in ciuibus, ad nos, studiorum cau-  
sa, uenientibus, non minus, ac Cicero Theophrasti  
institutionem in Demetrio Phalereo, agnoscunt, et ma-  
gnopere dilaudant. Nam, more institutoque ueterum,  
quos etiamnum suspicimus, praeceptorum, in com-  
mendatis fidei tuae atque concreditae, ex literarum  
humanitate, firma ponere fundamenta soles, in quibus  
diuinarum humanarumque rerum cognitio innititur,  
omnis. His praesidiis tuos munis aduersus barbariem,  
cum qua Academiae nunc conflictandum, eosque,  
tanquam notis insignibus, a discipulis aliorum distin-  
guis, qui, in Graecia aequae, ac Latio, hospites plane ac  
peregrini, grauiorum magistros studiorum stupent,  
horrent fugiuntque. Non longius profecto petenda  
est ratio, cur seculum hoc inscitia hominum, et discen-  
tium, et profitentium, tantopere laboret, ut Graecae La-  
tinaeque doctri-ae miraculi instar et prodigii putetur.  
Nimirum culpa in ludorum quorundam atque gymnasi-  
orum rectores merito conuicitur, qui, ut ipsi scripto-  
res, Graecos pariter, ac Romanos, uerae auctores eru-  
ditionis, aut, pigritia, non satis peruolunt, aut, im-  
becillitate ingenii, haud intellexerunt, ita auditores  
suos,



suos, non aliter, ac caecum caecus, in turpissimos errores agunt praecipites, ut postea et illi, doctores facti, ubique labantur, et ignorationem suam, cum summo reipublicae detrimento, propagent, mordicusque tueantur. Hinc, eorum scholas Germanicis commentationibus, aut, si interdum Latine loquantur, barbara dictione, personare, audias pariter, atque uideas, nihilo minus celebrari easdem magna audientium frequentia, quibus eruditae aliorum recitationibus, ob subsidiorum inopiam, interesse non licet. Filios sane tuos praestantis disciplinae testes excito, quos necessariis literarum cultiorum adiumentis instruxisti, et, ad percipiendas altiores doctrinas, praeparasti fatis et obfirmasti, ut alter, natu maior, mox hic a Philosophorum Ordine, summo iure, sapientiae ac bonarum artium Doctoribus ascriberetur, eidemque Sapientum Collegio, nisi Gothorum in Saxoniam irruptio Musarum filios exturbasset, assessoris titulo, destineretur, alter, isque minor, domi, praeceptionibus tuis literatissimis, excultus, apud nos, magna spatia faceret, et audiendi, legendi, disputandi, exercitationibus ingenium docile confirmaret, sibique uiam ad maximum philosophiae decus muniret. In mentem hic uenit, recordari domesticae consuetudinis, quae mihi cum utroque, fidei meae commisso, intercessit, quorum ille, iucundissimo in conuictu, uariam et multiplicem, Graecam aequae, ac Latinam, eruditionem, eamque persona docentis in Academia publica, si res, per fata, habitura facultatem uideretur, dignam, semper, cum polita morum elegantia, probauit, hic fundamentis, iam tum a te praeclare iactis, fidelissimo me Ciceronis et Aeliani iuxta, ac Dietericianae theologiae, interprete, adiunxit firmamenta, quae magnam aliquando grauioris prouinciae, in sacris ciuilibusue, molem sustentarent. Meminisse iuuat, quanta industria, quanta, et ingenii, et iudicii, facultate, in scholis illis, Dieterici, Clarissimi Theologi, Institutiones *Catecheticas*, uel cum *Systemate* merito comparandas, disputandi causa, institutis, et aduersarii, et defensoris, munia



nia obierit, quanta animi alacritate, quam exprompta memoria, quam expedita et profluente loquendi celeritate plerisque uicerit commilitones. Quibus rebus factum est, ut ostenderet spem, Deo egregiam se operam praestitutum, ac propediem tam sui, iam currentis, ad hunc consiliorum omnium finem, incitandi, quam futuri muneris illustrandi, ergo, ornamenta, quae bene meritis Philosophorum Senatus impertire solet, suscepturum. Sed, conatibus his intercesserunt fata, et in Filio, die XVI Kal. Quintiles, praeter opinionem, extincto, Patriae ac Parentibus emolumentis, et solatii fulcris, spem haud fallacem, proh dolor, prorsus eripuerunt. Grauius mecum ferres, Praecellentissime Vir, tantam familiae tuae iacturam, nisi certo scires, praepotens Numen, nostras moderans res, cum nullis plane, frustra tamen, parsum fuerit remediis, curae, uigilantiae, arti, restituendae ualitudinis, iussisse illum, iustissima, quadam necessitatis lege, exire de uita, cui parere, si in humanis, sapientis, iudicat homo, ueri Dei expers, quidni, in diuinis, censeat Christi nomen professus, quandoquidem, refragari, et temerarium, et impium, recte habetur. Reddas libens, quod summus uitae arbiter commodauit, amoris pignus, tibi que persuadeas, deperditum non esse, sed in Seruatoris sinu pium conquiescere spiritum, immo, in Academiam coelestem translatum, ut S. Triada, sine intermissione, ac aeuo sempiterno, intueatur proxime, et in intimos mysteriorum inexplicabilium recessus penetret, eaque omnino et penitus perspiciat, ac conditoris sui, optimi, maximi, conspectu immortaliter gaudeat, et animorum consortione reliquorum triumphet, rursusque tecum, nouo fulgentissimi corporis habitu, non sine exquisitissimi gaudii sensu, aliquando coniungatur. Quod tuarum fuit partium, Optime Pater, nihil reliquisti, Filiumque, a teneris, ut dicitur, unguiculis, imbuisi sanctis castisque praeceptis, literarum, quae Deum habent autorem, pariter, ac uitae, praesidiis muniuisti, in Academia hac liberaliter aluisti, ac defunctum uitae malis, honestissima funeris pompa, terrae mandandum curasti, memoriamque eius, apud nos, monumento lapideo, in muro coemeterii urbani, affabre, nec contemnendo sane artificio duritiae, extructo, et, a me, inscriptione ornato, eique ad omnem duraturo posteritatem, consecrasti. Addat tibi Deus seni, ac matri, matronae honestissimae, pro his singularibus amoris officiis, annos, Iuueni ademptos, teque cum tuis diu iubeat ualere.

Ung VI 3


W 18  
V 17







cf. VII. 60



AMPLISSIMO  
 OMINO  
 O GEORGIO  
 VSIKIO

ENSIS PRORECTORI LONGE ME  
 DANIELIS FILI MINORIS NATV  
 ENSIBVS DESIDERATISSIMI IMMATV  
 LVGENTI OBITVM  
 LORIS SENSVM APERIT  
 IL. KIRCHMAIERVS  
 PROF. PVBL

BERGAE SAXONVM  
 CHROEDTERI ACADEM. TYPOGR  
 S. CIO IO CC XII

